

fidei. Fundamentum itaq; hoc Calvinisticum tam est falsum, quam est in ore & calamo ipsorum tritum & frequens.

51. Exempt. 2. Agnus est Pascha. R. Hæc propositio non habetur in Exodo, sed Zvinglio eam suggestit nocturnus monitor (ipso teste in subsidio rei Eucharistica) de quo non meminit, ater an albus fuerit. Porro, Exod. 12. v. 11. rationem redditurus Moses, cur festinanter sit manducandum Pascha, ait: Est enim phase Domini, hoc est, ut ex vers. 12. liquet, ea ipsa nocte transiturus est Angelus per Ægyptum & percussurus primogenita. Propriè igitur loquitur Moses sine ullo tropo. Quando autem postea v. 27. & cap. 13. v. 9. Vocatur victima transitus & signum, ibi non amplius est sermo de illa ipsa nocte, de qua dictum fuit v. 11. 12. sed de futuris temporibus in posteritate Israëlita, ut ex ipso contextu clarissimū est. Quid? Si Agnus ille est typus Christi, quod rectè affirmant Calviniani, cur vocant typum transitus? Num forte inter substantiam & actionem erit nova Analogia Calvinistica? Nimirum transitum, sive saltum faciunt ex uno predicamento in alterum, quod non est veritati analogum. Alibi hoc dictum opponitur nobis, lib. 5. c. 10. pag. 270. ex 1. Cor. 5. v. 7. Pascha nostrum pro nobis immolatum est Christus. R. Optimè. Non enim Pascha Iudaicum dicit esse Christum, sed nostrum Christianum Pascha. Quasi dicat. Etsi nos Christiani non habemus Pascha Iudaicum (quod est per Christum abrogatum) tamen habemus verum Pascha, nempe Christianum: quo mactatur non Agnus anniculus, sicut Exod. 12. v. 5. sed ipse Christus, agnus ille Dei, portans peccata mundi, per Iudaicum illum agnum præfiguratus.

52. Exemplum 3. Victimæ sunt expiatio. Levit. 4. v. 31. Verba textus sunt hæc: Reconciliabitq; eum sacerdos, & dimittetur ei. Et Hebr. 8. v. 5. Exemplari & umbra deserviunt cælestium. R. Propositio illa ibi non habetur κατὰ τὸ ἑντὸν. De ipsa re docet Epistola ad Hebr. c. 9. v. 13. Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitule adpersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Verè igitur